Pisam captivus ductus est. Audita itaque Majoricani regis captura, Christianus exercitus exultans, et Deum laudans, castella duo et mangana conducit ad Cassarum. Iuxta quod erant barbacanæ magnæ latitudinis, et profundæ altitudinis, quas lignis impleverunt, et castella superduxerunt. Ex castellis ergo supereminentibus Cassari magnis turribus Christiani contra fortissimos Saracenorum recollectos in Cassaro acriter instare cœperunt, et fortiter eos expugnantes de suis castellis pontem super Cassarum posuerunt. De castellis autem, et de ponte Christiani contra Saracenos certantes, multitudine Christianorum eos pariter cum manganis affligente, per pontem Pisani transeunt in Cassarum, alios Saracenorum interficiendo, atque alios in præcipitium mittendo, pluresque intra Cassarum persequendo. Vexillum itaque Pisani exercitus super Cassarum elevatur, et de Saracenis et eorum munitionibus habita, et consummata victoria